

DE CENSURIS, ET POENIS.

CAPUT I.

DE CENSURIS.

4323. **C**ensura est, pena spiritualis, & medicinalis pro culpa inflicta, privans usu aliquorum spiritualium honorum, per Ecclesiam, potestatem imposita, ut fidelis baptizatus ad contumaciam discedat.

4324. Censura est, triplex: Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum. Irregularitas non est censura, seu poena medicinalis, sed impedimentum Canonicum, & inhabilitas ad Ordines, Beneficia, Officia, &c.

4325. Ad validitatem censuræ. 1. Requiritur culpa. 2. In censura ferenda ab homine requiritur trina monitio; nisi urgens necessitas aliud suadeat. *Cap. Sacro, & cap. Statutum, de Sentent. excom. in 6.*

Insuper, quod feratur in scriptis cum expressione causæ, & nominis, tam ejus, qui fert, quam ejus, contra quem fertur censura, *cap. In causis, de Sent. & de Judic.* In censura verò à jure non requiritur monitio; quia ipsum jus præcedens est continua monitio. *Clericatus cap. 147. ex Matrio in Theol. Moral. disp. 13. num. 15.*

Unde non potest ferri censura pro delicto præterito, aut non completo; ac proinde requiritur, ut præcedat monitio.

4326. Subjectum censuræ est solus homo vivus, baptizatus, ratiōnis, & doli capax, subditus ejus, qui fert censuram. *Vide num. 4339.* Unde (ut rectè advertit Clericatus) locustæ non dicuntur excommunicari: sed maledici. *Vide num. 1773.*

Nec mortui dicuntur, excommunicari, sed declarari, incurrisse in censuram ante mortem; & si dederint signa penitentiae, post mortem absolvuntur, seu absoluti declarantur, ad effectum sepulture Ecclesiasticae. *Cap. A Nobis 2. cap. Sacris.* *Vide num. 4377.*

4327. Communitas, aut collegium potest ligari suspensione, & interdicto. *Cap. de Sede vacante, de Sent. excom. in 6.* minimè excommunicatione. *Cap. Romana eod. tit. in 6.*

4328. Potestatem ferendi censuras ultra Papam, & Episcopos habent Legati Papæ, sive sint Legati à Latere, sive nati, sive missi, *ex cap. Legatus, de Offici. Leg. in 6.* Concilium Provinciale, Archiepiscopi, & Diocesani Episcopi, Capitulum Sede vacante; quia succedit in tota jurisdictione, tam ordinaria, quam voluntaria jurisdictione. Inquirentes; quia sunt Delegati Sedis Apostolicæ. Prælati Religionum, videlicet Generales, Provinciales, Abbates, Guardiani, Priores.

Ex cap. Cum in Ecclesia, de Major. & Obed. Vicarius Capituli Sede vacante. Ex Trid. sess. 24. de Reform. cap. 16. Vicarius Papæ, Vicarius Provincialis Episcopi; minimè Vicarij foranei, quia hi non faciunt idem tribunal cum Episcopo.

4329. Potestatem ferendi censuras ex jure communi non habent Archidiaconi, & Archiepiscopi, nisi autoritas Episcoporum accesserit, vel nisi aliqui eam sint consecuti in ipsa institutione, aut ex consuetudine legitime præscripta, & approbata. Eam in nullo casu habent Parochi; qui solum jurisdictionem habent in foro penitentiarum, minimè in foro exteriori, & contentioso. *Ex cap. de persona 1. quæst. 1. Leander de Censuris, tract. 1. disp. 3. quæst. 8. ad 19.*

4330. Censura lata contra facientes non comprehendit mandantes, & consulentes, nisi sit expressa clausula comprehendentibus quoscumque cooperantes; quia odia non sunt amplianda.

4331. Quatuor sunt causæ, quæ excusant ab incurfu censuræ. Prima est ignorantia invincibilis, juris, aut facti, cui est annexa censura. *Cap. Si vero, & cap. Secundo, de Sent. excom. in 6.* Imò, si censura est lata contra præsumptos, requirit scientiam, unde ab ea excusant ignorantia crassa; minimè ignorantia affectata, quia si adest ignorantia, non habetur contumacia; ad incurrendam autem censuram requiritur contumacia. *Vide num. 3299. & tom. 2. à num. 374. ad 383.*

Contumacia est, cum quis sciens, rem aliquam esse prohibitam ab Ecclesia sub censura, seu sub excommunicatione, nihilominus illam committit.

Inadvertentia etiam excusatur, quia æquivalere ignorantie.

Secunda est impotentia, sive physica, sive moralis: Unde non incurrit censuram contra detinentem rem alienam latam, qui non habet quid restituere; nec qui ob metum gravem cogitur omittere, aut facere aliquid, quod sub censura præscribitur; in priori namque casu adest impotentia physica, & realis, in posteriori, impotentia moralis. Metus gravis erit metus mortis, infamie, jacturæ honorum, & similitum damnoorum. *Vide tom. 2. à num. 37. & à num. 266.*

Tertia est appellatio legitime interposita ad superiorem post comminationem censuræ ab inferiori facta, antequam incurratur.

Hinc

Hinc Leander de Censuris, *tr. ult. 1. disp. 3. q. 39.* docet, non posse Prælatum, seu Judicem, qui potestatem habet ferendi censuras, illas ferre contra eum, qui antea legitime appellaverat, aut recusationem fecerat: quod tanquam certum tenet, & probat. Quia appellatio in tempore facta, suspendit usum jurisdictionis in Judice; ut habetur expressè in *cap. Romana, & cap. Si à Judice, de Appellat. in 6.* & ibi Glossa, *verb. Teneis.* Idemque omnino facit recusatio Judicis, facta antequam sententiam excommunicationis, vel alterius censuræ ferat, ut habetur etiam expressè, *cap. Quoties Episcopi 2. q. 6. & ibi Glossa. Appellent.* Sic omnes, Ugolin. *tabul. 1. cap. 2. §. 22. & 23.* Filliuc. *tract. 11. cap. 2. q. 9. num. 40.* Cornejo *tract. 5. de Censur. in genere, disp. 2. dub. 4. vers. Insuper tertio.* Regid. *disp. 13. de Cens. dub. 5. num. 35.* Alter. *lib. 3. de Cens. disp. 5. cap. 1. per totum.* Qui verò cum communi contrarius docet, loquendo de Appellatione non facta in tempore, hoc est, facta post latam sententiam excommunicationis, vel alterius censuræ, quod scilicet tunc appellatio non habeat vim suspendendi, *ex cap. Ad reprimendam, de Offici. Ordin.* sed solum devolvendi, ut Superior possit cognoscere de Justitia excommunicationis.

Quarta est prorogatio termini facta ab eo, qui censuram tulit. *Clericatus cit. num. 23. ex Matrio.*

4332. A censuris à Jure, si non sint reservatæ, absolvere potest quilibet Confessarius in foro interno scientiam; in foro exteriori Superior Censurati; *cap. Nuper, de Sent. excom.* Si sint reservatæ, ab eo, cui sunt reservatæ, aut ejus Delegato, vel ad id privilegiato, vel à Superiore ejus, cui sunt reservatæ, de quo fusè dictum est de casibus reservatis.

A censuris ab homine non nisi ab eo, qui eas tulit, aut successore, & pariter ab ejus Superiore, aut Delegato; excepto mortis articulo, in quo quidem quivis Confessarius potest à quibusvis censuris absolvere, sub onere, ut elapso periculo, coram Superiore compareat, ad exequendum, quod ille præscriperit, *cap. Eos, de Sent. excom. in 6.* ut fusè in loco cit.

4333. Potest quis pluribus censuris ligari. Item potest quis ab una absolvi, & non aliis, ad differentiam peccatorum.

4334. Censuris ligatus, non potest à peccatis absolvi, nisi prius à censuris absolvatur, loquendo de excommunicatione. *Clericatus cit. num. 26. ex D. Thom. 3. part. q. 24. art. 2.* quia excommunicatus est incapax susceptionis Sacramenti.

4335. Forma absolutionis à censuris non habet præfixa verba, sed potest dari verbis exprimentibus absolutionem censuræ, à qua fit absolutio. Pro foro verò exteriori habetur in Rituali Romano.

4336. Non potest à censuris absolvere ad reincidentiam, nisi ipsemet, qui eas infligere valet.

Mendo in *Epit. sub propriis titulis.* Clericatus, &

Matrius cit. Plura habes in toto corpore operis in propriis materiis, maximè in tom. 2. de Monitoriis.

DE EXCOMMUNICATIONE.

4337. **E**xcommunicatio est, *Censura Ecclesiastica privans hominem Christianum bonis fidelium communibus.*

Bona communia fidelium sunt tria. 1. Sacramentorum participatio. 2. Orationes, & Suffragia Ecclesiæ, videlicet orationes nomine Ecclesiæ, Sacrificia, & Indulgentiæ. 3. Exterior conversatio. Non privat omnibus bonis spiritualibus, nempe gratia, & aliis virtutibus, ut in *num. 3123.* sed his tribus; quia hæc tria directè subjacent potestati Ecclesiæ. Nec privat bonis spiritualibus particularibus, v. gr. effectu orationum, quas aliquis privatim, & ut persona privata, ac nomine proprio pro excommunicato offert, sed communibus.

4338. Excommunicatio convenit cum suspensione, & interdicto, in ratione generica censuræ, & penæ medicinalis; differt verò, quia suspensio, & interdictum privant hominem exercitio activo, aut passivo Divinorum Officiorum, minimè exteriori conversatione. *Vide num. 4402.*

4339. Subjectum excommunicationis est homo baptizatus; quia per Baptismum homo fit subditus Ecclesiæ, & sub ejus jurisdictione. Hinc Apost. 1. ad Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Fratrum Minorum, & Regularium privilegium quoad excommunicari. *Vide Clem. IV. apud Sorbo, verb. Exemptio, num. 9. Diana p. 3. tract. 2. ref. 103. Verriell.*

4340. Excommunicatio est duplex: Minor, & Major. Minor est, *qua privat tantum participatione passiva Sacramentorum, Dignitatum, & Beneficiorum.* In cap. penul. de Sent. Excom. Major est, *qua privat bonis communibus Ecclesiæ, tam activè, quam passivè.*

4341. Unde excommunicatus excommunicatione minori non privatur jurisdictione, nec suffragiis communibus Ecclesiæ, de quibus *num. 4337.* Nec communicatio exteriori, tam in civilibus, quam in Sacris, audiendo Missam, Divina Officia, &c. sed iis potest licite sine peccato uti.

4342. Imò per *Suarium*, & alios, apud *Mastrium disp. 13. num. 35.* non peccat aliis Sacramenta administrando; quia non est privatus participatione activa Sacramentorum, sed tantum passiva. Sed probabilis est, quod peccet tantum venialiter; quia in cap. ult. de *Cleric. Excom. Ministr.* ait Pontifex, quod ligatus excommunicatione minori, si celebret, peccat graviter; loquens autem de collatione activa Sacramentorum, ait tantum peccat, & non apponit particulam graviter. *Matrius cit.*

4343. Ligatus igitur excommunicatione minori celebrando, mortaliter peccat; quia Sacramentum Eucharistiæ recipit, sed non fit irregularis. *Matrius cit. num. 36.*

Fff 2

Mor-

4344. Mortaliter peccat, Sacramenta recipiendo, nisi ignorantia excuset, sed validè recipit; excepto Sacramento Penitentiae, nam cum in eo recipiendo peccet mortaliter, ex defectu doloris, & dispositionis ad gratiam, (si non curet ab excommunicatione absolvi) invalidè recipit.

Item, si eligatur ad Dignitates, & Beneficia, electio est valida; quia in dicto cap. non apponitur clausula irritans, sed potest per sententiam Judicis irritari. Maltrius *ut. num. 36.*

4345. Excommunicatio minor incurritur per communicationem cum excommunicato excommunicatione majori vitando, & potest à quovis Confessario approbato absolvi.

4346. Excommunicatio minor incurri potest ob peccatum veniale, *ut in num. 4362.* Major verò ferri non potest sine culpa mortali; quia est poena gravissima: unde ejus materia est peccatum mortale. *Cap. Nemo Episcoporum, cap. Nullus Sacerdotum 11. quast. 3. Conc. Trid. sess. 23. cap. 3. de Reform. Quod peccatum debet esse externum, & cum contumacia; quia Ecclesia non judicat de internis. Cap. Erubescat, cap. Sicut tuis, de Simonia, & cap. Christiana 32. q. 5. Maltrius *disf. 13. num. 23. & 63. Clericatus cap. 147. num. 21. Vide à num. 3306. ad 3306. & in tom. 2. à num. 10.**

EXCOMMUNICATIO MAJOR

4347. **P**rivat bonis communibus Ecclesiae, tam activè, quam passivè, nempe. 1. Participatione activa, & passiva Sacramentorum; administratione scilicet, & receptione. 2. Suffragiorum communicatione Ecclesiae, quae videlicet à Clericis tanquam Ecclesiae ministris pro fidelibus offeruntur. 3. Indulgentiarum. 4. Communicatione in Divinis Officiis, ita ut non possit audire Missam, nec Divinis Officiis publicis assistere. Tenetur tamen Clericus excommunicatus, si sit in Sacris, aut beneficiatus officium privatim, & solus recitare, se abstinendo ab illis verbis: Dominus vobiscum. 5. Electione ad beneficia, & jurisdictione Ecclesiastica in foro exteriori, & ideo si est Episcopus, non potest validè excommunicare. Item fructibus beneficii, ac pensione, non tamen fructibus patrimonii, cum non sit beneficium Ecclesiasticum. 6. Sepultura Ecclesiastica. 7. Communicatione forens, seu civili, & humana cum aliis fidelibus. *Vide num. 1321.*

4348. Qui effectus explicantur hoc versu: *Orare, vale, communicatio, mensa negatur.* Or significat allocutionem per verba, litteras, nutus, & qualibet alia signa externa amicitiae, ut amplexus, oscula, &c. Orare, id est simul cum excommunicato orare, aut officium recitare. Vale, id est excommunicatum salutare, aut alio modo verbis, vel gestibus honorare. Communicatio, id est quævis societas habitatione, exercitio, aut contractu. Mensa, id est cum eo in eadem mensa comedere.

4349. Item excommunicatio major est duplex,

à jure, & ab homine. A jure est illa, quae est lata per aliquod jus, & habet rationem legis, adeoque obligat perpetuò, & permanentè; tales sunt excommunicationes latae in Sacris Canonibus, ut in Bulla Coenae Domini, &c. Ab homine dicitur illa, quae est à Superiore lata per modum praecipii, & transeunt pro aliqua actione particulari, ut fiat, vel non fiat, & hæc amplius non obligat, sed extirpat morte ferentis. Sensus tamen est: ut qui mortuo ferente, contra præceptum delinquit, non ligetur excommunicatione; at qui reperitur jam excommunicatum incurrisse omnino debet ab ea absolvi, *ut in tom. 2. num. 52. Vide hic pag. 3. prop. 44. ab Alex. VII. damn.*

4350. Excommunicatio ab homine est duplex, Generalis, & Specialis. Generalis est, quae fertur à Superiore contra plures, aut omnes delinquentes aliqujus speciei. Specialis est, quae fertur à Superiore contra aliquam determinatam personam. Exemplum primi: Si Superior excommunicationem ferat contra omnes, qui talia furati sunt, aut retinent, ut restituant: Dicitur ab homine, quia est lata à Superiore, non perpetua per modum juris, seu statuti. Dicitur generalis, quia ad plures, seu omnes dirigitur. Exemplum secundi: Si Superior excommunicationem ferat contra Petrum, ut restituat. Portellius. *verb. Excom. num. 17.*

4351. Insuper excommunicatio major est duplex, latae sententiae, & ferendae. Lata est illa, quae commisso delicto, statim incurritur. Talis est 1. Si sit expressa per verba praesentis, aut praeteriti temporis: *Excommunicavimus, excommunicatus est: excommunicamus, excommunicatum volumus.* 2. Si per verba imperativi modi: *Incidat in excommunicationem.* 3. Si addatur particula, *ipso jure, ipso facto, sine alia declaratione, &c.* quia haec nullius actionem spectant.

4352. Ferenda est illa, quae non statim, commisso delicto incurritur, sed post Judicis sententiam. Talis est 1. Si sit expressa per verba futuri temporis: *excommunicabitur.* 2. Si per verba subjunctivi: *excommunicetur.* 3. Si verba sunt comminatoria, v. gr. *volumus excommunicari, sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis, &c.* nisi aliud ex adjunctis colligatur. Idem die de suspensione, & interdicto.

4353. Excommunicatus excommunicatione majori, alius est toleratus, seu non vitandus, alius non toleratus, seu vitandus. Vitandus est ille, cum quo fidelibus communicare prohibetur, seu vitari debet ab omnibus tanquam membrum putridum, & communicatione fidelium separatum. Ut autem sit vitandus, per Conc. Constantiense requiritur, quod sit nominatim, & in individuo à Judice publicè denunciatus excommunicatus, quod sit in scriptis per publicum ceduloneum; vel ut sit publicus, & notorius percussor Clerici, ita ut nulla valeat tergiversatione celari; hic ex jure, etiam non sit nominatim denunciatus talis, est vitandus.

4354. Non vitandus est ille, qui licet sit excommunicatus, non est tamen publicè, & nominatim de-

denunciatus talis, nec est publicus percussor Clerici: cum hoc conceditur fidelibus, tam in divinis, quam in civilibus communicare: Hinc in Germania Catholicè licet cum haereticis communicare; quia quamvis sint publici haeretici, non sunt nominatim denunciati tales.

4355. Id autem est à Conc. Constant. in Extravag. Ad evitanda statutum in gratiam, & commodum aliorum fidelium, minimè ipsorum excommunicatorum: constat ex verbis: *Per hoc autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, vel interdictos in aliquo relaxare, aut eis quomodolibet suffragari.* Unde ipsi excommunicati, licet non sint nominatim denunciati tales, debent se gerere, ut excommunicati, adeoque à communicando in praedictis cum fidelibus se abstinere.

4356. Excommunicati igitur vitandi sunt privati communibus Ecclesiae suffragiis, quae scilicet sunt auctoritate publica, aut nomine Ecclesiae, excepta feria sexta in Parasceve, quo die pia Mater Ecclesia ob mortem Redemptoris orat pro infidelibus, haereticis, & schismaticis. Unde qui alio die dictas Orationes faceret, peccaret mortaliter. Clericus, *cap. 148. num. 12.* Quod est verum etiam de contritis, nisi prius absolvantur, *ex cap. A nobis, de Sent. excom.*

Excommunicati non possunt ingredi Ecclesiam, nisi ad praedicationem audiendam. Fagnanus *in lib. 5. cap. Responso, de Sent. excom. num. 1. & 7.* & Leander *de Cens. tract. 2. dif. 7. q. 3. & 4.* qui idem de ingressu ad orandum, Oratione tamen privata, minimè Oratione publica; quia in hac cum aliis communicat, quod ei prohibetur. Item dummodo tunc Missa non celebretur, nec Officia Divina peragantur.

4357. Pro excommunicatis toleratis, qui scilicet non sunt nominatim denunciati tales, nec sunt publici percussores Clerici, Navar. cum aliis affirmat, nos posse orare Oratione publica, & nomine Ecclesiae; quia sicut non prohibetur communicare cum illis in divinis, ita neque pro illis Oratione publica orare. Unde tenet, eos non esse privatos suffragiis communibus.

Sed probabilis dico cum communi, eos esse privatos suffragiis communibus, & proinde, nos non posse pro illis Oratione publica orare; quia Conc. Constantiense edidit extravagantem *Ad evitanda* (ut dictum est) in commodum, & gratiam fidelium non excommunicatorum, minimè in gratiam ipsorum excommunicatorum; adeoque disposuit fideles posse communicare cum illis, etiam in divinis, ne paterentur incommodum recedendi à Sacro ob excommunicati tolerati praesentiam; noluit autem ipsos excommunicatos in aliquo directè relevare, uti esset, si fideles possent pro illis Oratione publica, aut privata, seu nomine Ecclesiae orare. Intentio Extravagantis liquet ex ipsis verbis, *num. 4355. relatis:* Unde sicut fideles non poterant ante Extravagantem publica Oratione, aut privata, seu no-

mine Ecclesiae pro illis orare, ita nec post illam.

4358. Loquendo verò de oratione privata licet possimus pro excommunicatis, tam toleratis, quam non toleratis orare. Ita tenet communis, & praxis desumpta ex pietate Ecclesiae, quae dum excommunicatos à fidelium communione excludit, intendit eos suffragiis communibus, minimè privatis privare. Imò docent Doctores, quod in Memento possit Sacerdos pro illis orare, non ut Minister Ecclesiae, aut ejus nomine, sed ut privata persona, & nomine proprio; quia licet Memento sit pars publici Sacrificii, non prohibetur Sacerdoti in eo orare privatim, & nomine proprio, pro quibus ipse voluerit. Item dicunt de aliis publicis precibus, si orans intendat orare, ut privata persona, & nomine proprio, minimè nomine Ecclesiae.

4359. Demum in casibus recensis, in quibus non licet orare, peccatum mortale est orare (nisi ignorantia excuset) ob irreligiositatem, & irreverentiam erga Deum, contra justas voluntatem oratur. *Vide tom. 3. num. 239.*

4360. Cum excommunicato tamen vitando conceditur fidelibus, posse licitè communicare in quinque casibus hoc expressis verba.

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Nos esse. Utile significat utilitatem spirituales ipsius excommunicati admonendo, ut respiciat, aut utilitatem temporalem ejus, qui cum illo communicat, v. gr. petendo debiti solutionem. *Lex* significat obligationem reddendi id, quod illi justè debetur; sic uxor debitum illi reddit, & debitor ei debitum solvit. *Humile* subjectionem: sic excusantur filifamilias, uxor, servi urbani, aut rustici. *Vide tom. 2. num. 41. Res ignorata.* Ignorantia invincibilis juris, aut facti excusat. *Necessè* significat necessitatem spirituales, aut temporalem notabilem, sive ipsius excommunicati, sive alterius: hinc potest quis ei graviter indigenti victum dare, & in gravi necessitate ab illo elemosynam petere. *Vide num. 4376.*

4361. Sub necessitate comprehenditur vis, & metus gravis cadens in virtum constantem, hic namque excusat ab incurfione censura. *Vide num. 4333.*

4362. Extra quos casus, qui communicat cum excommunicato vitando incurrit in excommunicationem minorem, ita ut, si communicet in divinis, peccet mortaliter, si in civilibus, venialiter. *Vide tom. 3. à num. 345.*

In Divinis, seu in Sacris communicare, qui cum eo se immiscet in recitando Officio Divino, in audiendo Sacro, in Processione, & aliis publicis Officiis Divinis. Quid autem tunc est agendum, dictum est in *tom. 3. num. 345.*

At in concionibus tolerari posse etiam non toleratum, ait Clericatus *cap. 147. num. 18. cap. Si quis Episcopus 4. q. 3. cap. 15. qui de Sent. excom. in 6.*

4363. Qui cum excommunicato excommunicatione majori vitando communicat in eodem crimine, propter quod est excommunicatus, incurrit eandem

dem excommunicationem majorem, similiter reservatam, si illa est reservata, & dicitur participare in crimine criminoso; talis est, qui cum excommunicato, quia restituere non vult, cum illo communicat, suadendo ut non restituat, & in contumacia confirmando.

4364. Communicans cum excommunicato excommunicatione minori, etiam denunciato, ministrando illi Sacramenta, peccat mortaliter, sed nullam censuram incurrit. Non peccat ab eo recipiendo; quia excommunicatus excommunicatione minori, licet non possit Sacramenta recipere, potest ea ministrare, ut in num. 4342.

4365. Qui dubitat, an aliquis sit excommunicatus, & denunciatus, non debet illum vitare, quia se exponeret periculo ei injuriam irrogandi. Teneatur autem vitare, si sit periculum faciendi actum invalidum; & sic non debes confiteri cum Confessorio, de quo dubitas, an sit excommunicatus vitandus, quia cum talis careat jurisdictione, validam absolutionem conferre non potest. Vide num. 3245.

Excommunicatione minor incurri potest ob peccatum veniale, ut in num. 1306. Excommunicatio vero major ferri non potest sine culpa mortali, quia est poena gravissima; unde ejus materia est peccatum mortale.

4366. Excommunicatus excommunicatione majori, etiam toleratus, si Sacramenta recipiat, vel aliis ministrat, peccat mortaliter, & insuper irregularitatem incurrit, non recipiendo, sed ministrando. Cap. Licet, & cap. ult. de Cler. Excom. Ministr. & cap. Is cui, de Sentent. excom. in 6. Ignorantia, aut metus excusat: ignorantia enim, & metus, ut supra dictum est, à censuris, & poenis Ecclesiasticis excusant in foro conscientiae. Vide n. 4332.

4367. Excommunicatus excommunicatione majori, illicitè, sed validè Sacramenta recipit, excepto Sacramento Pœnitentiæ, ut in num. 4344.

4368. Item illicitè (ut dictum est) Sacramenta ministrat, sed validè, excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod validè ministrat, si est toleratus, ex Extrav. num. 4355. relata: invalidè verò (excepto articulo mortis) si non est toleratus, aut est publicus percussor Clerici; quia Sacramentum Pœnitentiæ, cum ministraretur per modum iudicii, exposcit in Ministro jurisdictionem, qua excommunicatus non toleratus, aut publicus percussor Clerici est privatus.

4369. Excommunicatus excommunicatione majori, etiam toleratus, non potest validè ad Dignitates, & Beneficia promoveri, & si promoveretur, actus est nullus; nec quoad hoc ignorantia excusat; quia ignorantia excusat à culpa, & poena, sed non supplet defectum conditionis requisitæ à jure ad valorem actus.

Collatio Beneficii facta in excommunicatione non revalidatur per absolutionem ab excommunicatione, sed Beneficium est denuo conferendum à po-

tente illud conferre; vel debet fieri recursus ad S. Pœnitentiariam, tam pro Beneficii revalidatione, quam pro fructibus. *Mastrius dif. 13. num. 53.*

4370. Beneficiis verò ante excommunicationem obtentis non privatur ante Iudicis sententiam, non obstantè quod in jure dicatur ipso facto privatus, ob dicta num. 180.

Idem docent de fructibus beneficii ante excommunicationem obtenti, sed tempore excommunicationis perceptis, si per se, aut per Vicarium satisfecit Officio: quia tales fructus percipere non est communicare cum fidelibus. Sanchez, Vazquez, & alii, apud *Mastrium cit.* qui probabilius putat cum Suario, & Toledo, quod taneatur fructus restituere ante sententiam.

4371. Validè autem Beneficia aliis confert excommunicatus, si est toleratus; ob Extrav. & rationem relata in num. 4355. invalidè, si non est toleratus: unde tunc provisus dicitur intrusus, adeoque absque ulla alia declaratione tenetur beneficium dimittere, & restituere fructus. *Cap. Quia diversitatem, de Concess. Præb. cap. Tanta, de Excessibus Prælat.*

Et universalius actus jurisdictionis, quos excommunicatus activè exercet in alios, sunt invalidi, si non sit toleratus; validi tamen sunt, si sit toleratus, ob recentiam Extrav. eo namque ipso, quod Ecclesia in favorem, & commodum aliorum fidelium eum permittit, & tolerat, indulgens communicationem cum illo in receptione Sacramentorum, Beneficiorum, &c. ab eo; sufficientem jurisdictionem illi relinquit ad ea validè conferenda.

4372. Excommunicatus est privatus communicatione forensi, vel judiciali, adeoque non potest stare in iudicio, ut Judex, Testis, Actor, Procurator, Notarius, &c. ex pluribus iuribus, si non sit toleratus, secus, si sit toleratus; tunc namque validè dictos actus exercet, sed illicitè; nisi ignorantia excuset, aut dictos actus exerceat ad vitandam mortem, infamiam, & alia pericula, ac damna, ut regulariter dictum est in aliis actibus.

4373. Contractus facti ab excommunicato non tolerato, puta venditionis, locationis, &c. si facti sunt ab eo ratione publici officii, v. gr. Prælati, Tutoris, Curatoris, &c. sunt invalidi, ex cap. Veritatis, de Dolo, & contumacia. Ratio est, quia talis excommunicatus est privatus officio, & beneficio, adeoque caret jurisdictione, atque inde ejus contractus sunt invalidi. Sunt autem validi, si sint ab eo contracti, ut persona privata, ex cap. Cum inter, de Exceptionibus in 6. & ex cap. Si verò de Sent. excom. Quia nullo jure contractus ab excommunicato, etiam non tolerato, ut persona privata celebratus, reperitur irritus.

4374. Imò reperitur oppositum, nam excommunicatus non toleratus validè matrimonium contrahit, ex cap. Significasti. Validè Professionem Religiosam emittit, cap. Cum illorum, de Sent. excom. Valida est donatio ab eo facta ex cap. Inter delictos, de Donationibus. Ita est dicendum de aliis contractibus.

bus, *Mastrius cit. num. 56.* qui idem docet in confessione testamenti, tam activa, quam passiva, nisi excommunicationem incurrisset, ex eo quia hostiliter insecutus sit Cardinales, cap. Felicis, de Penit. in 6. aut nisi sint hæretici, vel eorum fautores, & receptores si per annum in excommunicatione permanserint, ex cap. Excommunicatus, de Hæreticis in 6.

4375. Ex his pro majori dictorum claritate summarè habetur, quod septem sint effectus proximi excommunicationis majoris.

Primus est privatio communions, tam activa, quam passiva Sacramentorum, ut in num. 4347. & in num. 4356. ad 4368.

4376. Secundus est privatio communium suffragiorum Ecclesiarum, ut in num. 4347. & in num. 4356. ad 4359.

4377. Tertius est privatio usus Divinorum Officiorum, ita ut excommunicatus non solum careat eorum fructu, sed neque possit sine mortali illis interesse, etiam si sit toleratus, nisi ignorantia, aut necessitas vitandi scandali, aut alia justa causa excuset, ut in num. 4348. à num. 4355. ad 4359.

Sub hoc effectu comprehenditur privatio sepulture Ecclesiasticæ; hæc autem afficit excommunicatum non toleratum. *Mastrius cit. num. 52.* Qui habet: Demum excommunicatus non toleratus post mortem sepultura Ecclesiastica privatur, ex cap. Sacris, de Sepulturis, & Clementina prima eodem titulo, quia æquum est, ut ait ibi Pontifex, ne communem defuncto, cui non communicavimus vivo; quod si defecit cum signis contritionis, etiam post mortem à sepultura absolvi poterit, & tunc in loco sacro sepeliri; si verò in loco sacro sepultus est, & non absolutus, debet exhumiari, ex cap. cit. si ab aliis corporibus discerni possit, quod si discerni nequeat, non est exhumiandus.

4378. Quartus est privatio Beneficiorum, & eorum fructuum, ut à num. 4369. ad 4371. & in num. 4347.

4379. Quintus est privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ externæ, ex pluribus iuribus, apud *Mastrium cit. num. 54.* Actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quibus excommunicatio privat, sunt ferre legem, vel iudicium, sive in foro contentioso, sive pœnitentiæ, dispensare, delegare, indulgentias concedere, licentiam ad aliquid munus Ecclesiasticum exercendum dare, &c. quia actus sunt invalidi ab eo exerciti, si non sit toleratus, ut in num. 4371. & seq.

4380. Sextus est privatio communicationis forensis, vel judicialis, etiam secularis, ex cap. Decernimus 8. de Sentent. excom. Vide à num. 4372. ad 4374.

4381. Septimus est privatio externæ communicationis politice, & civilis fidelium, per modum commercii, societatis, & conversationis, ita ut excommunicatus non possit cum aliis communicare,

etiam si sit toleratus. Alii verò non possunt communicare cum ipso, si non sit toleratus, bene verò si sit toleratus, ut à num. 4355.

4382. Effectus remoti excommunicationis majoris sunt. 1. Irregularitas, ut in num. 4366. & infra. 2. Quod si quis infordescat in excommunicatione per annum, sit suspectus de hæresi, & contra eum possit à S. Tribunali procedi, ex Trid. sess. 25. cap. 3. ut in tom. 2.

De absolutione ab excommunicatione, de causa efficiente, &c. dictum est supra de censuris in genere.

QUÆRES I.

4383. An laicus non tonsuratus possit ab excommunicatione, seu à censuris absolvi, solum in articulo mortis?

Præmittendum est, regulam esse, quod qui potest ligare, potest & absolvere. Cap. Insuper, dist. 21. l. Qui condemnatur, ff. de Re judic. Possit autem Summus Pontifex de potentia factim extraordinaria, & absoluta, seu de plenitudine potestatis delegare, & committere laico potestatem ferendi censuras tenet *Leander de Censuris, tract. 1. dist. 2. disp. 17.* cum innumeris Doctoribus; quia ipse solus potest facere laicos capaces rerum spirituum, ac profundè jurisdictionis spiritualis. Imò idem tenet de foeminis; quia Ordo Clericalis solum de Jure Canonico est requisitus ad potestatem ferendi censuras; unde ad ferendum censuras non est necessaria clavis ordinis, sed jurisdictionis. Consequenter concludit, posse Summum Pontifex de plenitudine potestatis, committere laico; imò, foeminæ, ut ab excommunicatione, & censuris absolvi.

4384. Hoc autem parum nobis refert; quia difficultas non est speculativa, & metaphysica, sed realis, & practica; unde procedit non de eo, quod de potentia absoluta, sed de eo, quod regulariter, de facto; & secundum jura fieri potest. Ac profundè.

4385. Dico, laicum non tonsuratum non posse in articulo mortis à censuris absolvi. *Leander cit. tract. 2. dist. 17.* cum innumeris, apud ipsum. Quia ex nullo jure constat, quod Summus Pontifex hanc facultatem absolvendi à censuris concesserit laico, saltem pro articulo mortis; sed potius constat oppositum. Nec id est contra pietatem Ecclesiæ, quia censura ratione sui non impedit gratiam, & animæ salutem ex num. 3123. Insuper auferri potest post mortem, ex num. 4325.

QUÆRES II.

4386. An Clericus tonsuratus possit à censuris absolvi in articulo mortis?

Clericum est, quod Clericus prima tonsura initiatus possit censuris ligare, quia potest jurisdictionem spiritualem habere; puta si sit Vicarius Gener. unde Clerico Tonsurato potest delegari, &

committere potestas ab ligandum censuris, sic pariter ad absolvendum ab illis. Leander *cit. tract. 1. disp. 2. & tract. 2. disp. 17.* Vide num. 4332.

Imò sicut potest ligare censuris non solum pro foro exteriori, verum etiam pro foro penitentiae, seu interno conscientiae, ita, & absolvere, si ad id jurisdictionem habeat, seu commissionem. Quia tamen non potest à peccatis absolvere, cum ad hoc requiratur potestas Ordinis Sacerdotalis, *ex tom. 3. à num. 170. ad 182.* sequitur quod à sola censura possit absolvere, minime à censura, & peccato. Leander *tract. 2. cit. q. 4.* Quae absolutio facilliter potest à Clerico tonsurato praticari; quia absolutio à censuris potest, imò debet praemitti ad absolutionem à peccatis, *ex num. 4335.* Et simul dari potest extra Sacramentum. His praemis, 4387.

Dico, Clericum prima tonsura initiatum non posse in articulo mortis à censuris absolvere, etiam si nullus sit praesens Sacerdos. Leander *cit. tract. 2. disp. 17. q. 6.* Probatur; quia Clericus tonsuratus non potest à censuris absolvere, nisi ex speciali commissione, aut delegatione; in iure nulla habetur talis specialis commissio, nec delegatio pro articulo mortis, sed potius oppositum; nam *Trid. sess. 14. cap. 7.* quamvis de pietate Ecclesiae in articulo mortis omnem reservationem tollat, & approbationem in Confessariis non exposcat, Sacerdotes tamen exprimit his verbis: *Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet penitentes, à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.*

QUAERES III.

4388. An nominatim publicè denunciatus in uno loco, sit vitandus in alio loco, ubi non est sic denunciatus? **C**onstropal. apud Tamb. *tom. 2. cap. 268. num. 16.* tenet, nullam esse obligationem hic vitandi, si publicè, si occultè illum, qui alibi fuit publicè denunciatus, quando hic occultè scitur, sed solum quando scitur publicè, quia post Concil. Constant. excommunicatus non est vitandus, nisi sit publicè denunciatus: *ly publicè* autem non solum respicit locum, ubi ille fuit denunciatus, sed etiam locum, ubi fideles inveniuntur, quando vitare illum debent.

4389. Probabilis est, quod etiam alibi sit vitandus, publicè tamen, si sciatur publicè, occultè si occultè. Avila, Vazquez, & alii, apud Tamb. *cit. num. 12.* quia per publicam denunciationem factam in uno loco, amittit ille jus ad famam in omni loco. Et ut talis fuit denunciatus pro toto Orbe. *Vide num. 2759.* Et licet ex hoc sequatur, quod ubi scitur occultè, debet vitari publicè, hic tamen rigor fuit mitigatus à Clem. III. in *cap. Cum non ab homine*: ubi disponitur, quod publicus excommunicatus vitetur publicè, occultus occultè.

QUAERES IV.

4390. An pueri usum rationis habentes ante an-

num pubertatis, nempe annum 14. ligentur censuris, & poenis?

Afirmant de latis à jure, & negant de latis ab homine Azorius, Vazquez, & alii apud Tambur. in *Met. Com. cap. 4. §. 2. num. 11.*

Quoad omnes autem ligari negant Sà, Fagundes, & alii: quia *ex cap. 1. & 2. de Delictis puerorum*, pueri infra annum 14. simpliciter eximuntur à poenis, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

De Papa. *Vide num. 3566.*

4391. Ex qua 2. sententia sequitur, pueros Clericos mutuo pugnis, &c. se percipientes non incurere excommunicationem, *si quis suadente*, ut in num. 3566. Imò nec censuras Bullae Coenae, & consequenter, nec dictorum casuum Coenae reservationem, quia in Bullae Coenae casus non est reservatus, nisi cum excommunicatione conjunctus. *Vide tom. 2. à num. 289.*

DE SUSPENSIONE.

4392. **S**uspensio est, *censura*, qua Clericus aliquas Ecclesiasticas functiones, aliàs sibi convenientes exercere prohibetur. Est triplex. 1. *Ab Officio tantum*, siue ordinis, siue jurisdictionis. 2. *A Beneficio tantum*, videlicet ab administratione, & fructibus beneficii percipiendis. 3. *Ab Officio, & Beneficio simul.* Item alia est, *ab Officio in totum*, ut cum quis suspenditur ab omni usu sui officii; & hic nec actum ordinis, nec jurisdictionis exercere potest adeoque non potest celebrare, nec valde excommunicare, &c. alia est *in partem*, ut cum quis suspenditur ab audiendis Confessionibus; hic potest alia Sacramenta administrare.

4393. Insuper alia fertur ad tempus praescriptum, & haec absolutione non indiget, sed elapso tempore, cessat. Alia *indefinitè*, sine temporis praescriptione, & haec durat, donec per absolutionem tollatur. Alia est *penalis*, quae fertur in punitionem, & vindictam delicti commissi, & haec non est censura, sed pura poena. Alia est *medicinalis*, qua emendatio delinquentis, intenditur, & haec est proprie censura. Denique alia est à *jure*, alia *ab homine*, ut in num. 4349.

4394. Qui suspensionem violat exercendo actum, à quo est suspensus, peccat mortaliter, nisi levitas materiae excuset. Insuper, si exercet solemnitatem actum Ordinis sacri, à quo est suspensus, puta celebrando, solemniter canendo Epistolam, &c. incurrit irregularitatem; non sic, si exerceret actum jurisdictionis, nisi in aliquo imponeretur etiam irregularitas.

4395. Nemo tenetur sub mortali vitare suspensum, etiam non toleratum, sed solum cum eo non cooperari ad actum, à quo est suspensus; unde qui audit Missam suspensi, non peccat, saltem mortaliter, nisi intersiat; quia nullum extat praecipuum de non communicando cum suspensis in his functionibus, à quibus sunt suspensi, sicut datur de non communicando cum excommunicatis vitandis, sed solum prohiberi Jure Naturali, & Divino cooperatio cum suspensio in delicto, & malo usu ministerii, quatenus cooperari peccato alterius est intrinsecè malum.

4396. Omnes, qui possunt excommunicare, possunt suspendere; sed non omnes, qui possunt excommunicari, possunt suspendi; soli namque Clerici possunt suspendi. *Vide num. 3057.*

4397. Clericus suspensus est ubique suspensus, nisi suspensio sit restricta loco particulari. Suspensus à beneficio non potest valide eligi ad aliud beneficium. Episcopus suspensus à Pontificalibus potest celebrare Missam privatam. Canonici suspensus à Beneficio potest interesse Capitulo, & dare votum ad eligendos alios Canonicos. Suspensus à Beneficio, si fructus exigit, non incurrit irregularitatem, sed peccat mortaliter, & tenetur eos restituere. *Vide num. 4370. Magistris disp. 13. à num. 86.*

4398. Totum Capitulum, & Universitas Clericorum potest suspendi, ad differentiam excommunicationis, quae non nisi contra personas particulares potest infligi. *Magistris cit.*

4399. De causis excusantibus à suspensionis incursum, & de eo, qui potest ab illis absolvere, discurre, ut de Censuris, num. 4331. & seq. A suspensionibus reservatis Papae, si sint occultae, potest Episcopus absolvere, *ex Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6. ut in num. 3374.* Suspendit à Divinis sub conditione, *donec satisfeceris*, satisfactioe posita, non indiget absolutione, probabile putat *Magistris cit. num. 103.* sicut dicitur est de suspensio ad tempus determinatum in num. 4393.

DE INTERDICTO.

4400. **I**nterdicium est, *censura prohibens usum Divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, & Ecclesiasticae sepulturae, quae talis est.* Dicitur *qua talis est*, quia excommunicatio eodem usu privat, in quantum est communicatio cum fidelibus; suspensio verò, in quantum usus ille est exercitium Ecclesiasticae potestatis.

4401. Hinc excommunicatio major licet continet suspensionem, & interdictum, hoc materialiter se habet, sicut numerus quaternarius continet ternarium, & binarium; non formaliter, quia habent diversas definitiones, & rationes formales: insuper excommunicatio est poena gravior, quia pluribus bonis privat.

4402. Interdictum igitur ab excommunicatione differt; quia excommunicatio, ultra plura, quibus privat, privat etiam humana, & politica communicatione, non sic interdictum; unde interdicti non sunt vitandi. *Vide num. 4338.*

Insuper excommunicatio non nisi contra personas particulares, & nocentes potest infligi; interdictum verò etiam contra Communitatem, & innocentes: Contra innocentes tamen fertur indirectè, & per

accidens, quatenus in Communitate directè interdicta morantur. Et hoc pacto saepe innocentes damnata sine culpa, sed non sine causa patiuntur, ut liquet in casu belli iusti. Ita rectè inquit *Mathurci, tom. 2. num. 21.*

A suspensio differt; quia suspensio non privat, omnibus, quibus privat interdictum, ut constat ex eorum effectibus, & definitionibus, sed aliquibus, & ut procedunt à potestate Clericali: unde solos Clericos ligat; interdictum verò ligare potest, tam Clericos, quam Laicos.

4403. Interdictum est triplex, *locale*, quòd immediate locum afficit; *personale*, quòd immediate personas; & *mixtum*, quòd immediate locum, & ejus incolas. *Locale* differt à *personali*, quia in eo usus Divinorum Officiorum, Sacramentorum, &c. tum incolis, tum advenis prohibetur, non absolute sed solum in loco interdicto: In hoc verò certis personis, aut Communitati prohibetur absolute, & in omni loco.

4404. Item interdictum, tam locale, quam personale, aliud est *generale*, quò locus generalis, v. gr. Civitas, Dioecesis, Regnum, Communitas interdicuntur, & hoc ligat omnes illius Communitatis, etiam innocentes. Aliud est *particulare*, quò locus particularis, aut personae particulares interdicuntur, non ut membra Civitatis; sicut quando interdicuntur aliqua Ecclesia ob delictum in ea, aut ab ejus Ministris commissum.

4405. Interdicta Civitatis, interdicuntur etiam suburbia, & interdicta Parochia, etiam facellam, vel coemeterium contiguum; quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Interdicto populo, non interdicuntur illi, qui non sunt pars populi, ut studiosi, Clerici, Peregrini, &c. nec interdicto Clero, interdicuntur Religiosi, quia in favorabilibus tantum, non in odiosis, nomine Clerici comp. extenduntur, si dicatur: *Cives v. gr. Panormitani sunt interdicti*; si nusquam possunt interesse Divinis (nisi tamen desinant esse illic Cives; nec causam dedierint interdicto) contra verò, si Civitas interdicto subiciatur, licet Civibus, ut incolis, qui causam interdicti non dederunt, aliò ire, & illic interesse Divinis. Ita *Bulemb. de Censur. cap. 2. dub. 1.*

4406. Interdicto toto populo unius Civitatis, intelliguntur interdicti, tam nocentes, quam innocentes, hoc cum discrimine, quòd nocentes, licet ab ea Civitate discedant, remanent interdicti; innocentes verò si aliò suum domicilium transferant, statim sunt ab interdicto liberi. *Magistris disp. 13. num. 101.*

EFFECTUS INTERDICTI

4407. **S**unt tres. 1. Prohibitio Divinorum Officiorum, videlicet, Sacrificii Missae, Horarum Canoniarum, quae publicè cantantur, benedictiones solemnes, & alia, quae publicè in Ecclesia à Ministris ad Divinum cultum fiunt, unde etiam interdicti ob alienam culpam Sacro interesse non possunt.

Clerici verò, & Religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt, ac debent, ut ante, Missas, & Divina Officia celebrare, sed Januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, & exclusis interdictis, ut in cap. Alma Mater.

Permittit tamen, ut in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, quibus additus fuit à Martino V. dies festus Corporis Christi cum Octava, & à Leone X. dies festus Conceptionis ejusdem B. Virginis, tempore interdicti generalis, Missæ, & Divina Officia publicè, & solemniter celebrentur, Januis apertis, cum campanarum sonitu, admisis quoque interdictis, qui causam interdicti dederunt, modo illi non appropinquant Altari, nec veniant ad Offertorium, vel Communionem, exclusis tamen excommunicatis. Matruius disp. 13.

4408. Quod privilegium est de interdicto locali generali, minime locali speciali, nec de personali; etiam generali; quia in his nihil est immutatum jure novo in cap. Alma Mater, sed remanet rigor juris antiqui de Bonifacio VIII. unde in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus Eucharistia asseratur, solum licet semel in hebdomada celebrare Missam pro renovanda Eucharistia, & ea conservanda pro infirmis.

Tempore interdicti possunt pulsari campanæ ad excitandum populum pro Salutatione Angelica.

Item ipsi interdicti possunt licitè ingredi Ecclesiam orationis causa, dummodo tamen Divina Officia non celebrentur. Insuper possunt per pulsam campanæ convocari ad concionem, ut ad correctionem induci valeant. Matthæucci tom. 2. pag. 112. n. 12. Vide num. 4356.

4409. 2. Prohibitio activa, & passiva aliquorum Sacramentorum, excepto Baptismo, & Confirmatione, quæ possunt solemniter ministrari, etiam ipsis interdictis, & in loco interdicto, quia sunt Sacramenta necessitatis.

Sacram. Penitentia, quia pariter est necessitatis, ministrari potest similiter in quovis interdicto, etiam locali, & personali, exceptis his, qui fuerunt causa culpabilis interdicti, nisi prius satisfecerint.

Sacram. Eucharistia tempore interdicti ministrari non potest, nisi in articulo mortis per modum Viatici, & cum debita solemnitate, atque sine modo Viatici, in probabili periculo mortis, videlicet in periculoso partu, &c. ut in num. 3357. Extrema Unctio omnino prohibetur, seclusa extrema necessitate, in qua moribundus alia Sacramenta suscipere non potest.

Sacramentum Ordinis tempore interdicti, nec potest licite ministrari, nec recipi. Matrimonium non suspenditur in loco interdicto, & inter personas generaliter interdictas, bene verò solemniter benedictio sponsozum. At ipsi sunt culpabiles, & specialiter personaliter interdicti, non possunt licitè, bene autem validè matrimonium contrahere, si sint contu-

maces, idque speciali titulo; quia scilicet ponunt obicem gratiæ per Sacramentum recipienda. Vide num. 2963. Phœbeus lib. 4. tit. 17. num. 16.

4410. 3. Prohibitio Ecclesiastica sepulture in qua comprehenduntur infantes, & amentes. Excipiuntur Clerici, qui in interdicto locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violant, possunt cum silentio sepeliri. Busemb.

4411. Qui violant interdictum, si sint laici, peccant mortaliter, recipiendo Sacramenta contra interdictum personale; si autem violent interdictum locale, audiendo v. gr. Divina Officia; peccare venialiter, ait Busemb. cit. dummodo ipsi personaliter interdicti non sint; ipsi verò laici, si cogant celebrare Divina Officia in loco interdicto, vel vocent interdictos, ut illis intersint, aut prohibeant, ne ipsi interdicti à celebrante moneant, exeant: insuper, & ipsi interdicti, si post monitionem exire recitent, incidunt ipso facto in excom. majorem Papæ reservatam, ex Clem. II. de Sent. excom.

4412. Clerici, & Religiosi utriusque sexus violando interdictum peccant mortaliter. Imò Clerici violantes interdictum quodlibet per actum Ordinis Sacri, incurunt irregularitatem, sicut violando alias censuras: habetur, ex cap. 15. Cui, de Sent. excom.

4413. Interdicere possunt, qui excommunicare, & suspendere. Pro interdicto personali requiritur culpa mortalis. Pro locali, vel generali in Communitatem peccatum valde grave cum contumacia commissum à capite, vel precipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

Interdicta localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in Communitatem interdictam: non tamen à Religiosis privilegiatis; quia locus, & Communitas foro penitentia non subjunguntur. Ab interdicto juris personali particulari, si reservatum non est, quis approbatus potest absolvere. Ita Busemb.

4414. In privilegio absolventium ab omnibus censuris non includitur facultas tollendi interdictum locale, aut personale generale, bene verò interdictum personale particulare à jure latum, non ab homine; quia hoc ab eo, qui tulit, tollitur.

Pro privilegiis Regularium quoad interdictum, quantum ad plures effectus, sepulturam suorum, & festivitatem propriorum Sanctorum, vide Marc Magnum Sixti IV. Pro Predicatoribus Bullam 7. & pro Minoribus Bullam 6. de anno 1474. in tom. 1. Bullarum, & Sufinus in Bullario Rodrig. pag. 153. Conf. 48. Pauli III. Licet debitorum, in Bullar. Bullam 29. Leonis X. Cum Sancta, in Bullar. Rodrig. pag. 314. Bullam 4. Clem. VIII. Sacra, 17. Octob. 1595. Dianam part. 3. tract. 2. ref. 143. Matthæucci in Officiali Curia, tom. 2. pag. 109.

CESSATIO A DIVINIS

4415. Propriè, nec est pœna, nec censura, sed simplex prohibitio Ecclesiastica, quæ Clerici, seu Ministri Ecclesiæ prohibentur persolvere publicè Divina Officia, ministrare aliqua Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro, in signum gravissimi mororis ab Ecclesiâ concepti, propter gravissimam injuriam sibi, aut honori divino illatam, ut injuriantes resipiscant, & Ecclesiæ læsæ satisfaciant. Leander de Pœnis, tract. 3. cum com. ex cap. Quarenti, de Verb. significat. ubi interrogatus Innocent. III. de numero censurarum, respondit esse tres excommunicationem videlicet, suspensionem, & interdictum.

Hinc violans cessationem à Divinis, sive particularem, sive generalem; peccat mortaliter; sed cum irregularitatem non incurrit consequenter docet Leander cit. q. 7. & 8. cum D. Anton. Soto, Navar. Toledo, Suario, & aliis.

De Censuris fusè agunt Fagnan. in Decretalibus sub propriis titulis Pirhing. lib. 5. tit. 37. Phœbeus à tit. 14. ad 17. Matruius disp. 13. à quasi 1. ad 14. Leander tom. 4. de Censuris. Tamb. tom. 2. lib. 10. tract. 1. 2. & 3. Gobat in Exper. tract. 3. 7. & 8. pluribus in locis. Joan. Dieahillo de Censuris, tract. 10. à disp. 1. ad 5. Anton. à Spir. S. de Censuris, tract. 12. Matthæucci in Offici. Curia, tom. cap. 7. à num. 107. Mendon in suis titulis.

CAPUT II.

DE PœNIS.

IRREGULARITAS

4416. EST, impedimentum Canonicum susceptionem primæ Tonsuræ, Ordinum Minorum, & Sacrorum, & susceptorum usum impediens, non autem in ordine ad reliqua Sacramenta.

Alia est ex delicto, alia ex defectu: alia totalis, & propriè dicta, quæ omnis ordinis susceptionem, & suscepti exercitio privat, ut homicidium, & bigamia. Alia partialis, quæ alicujus tantum usui privat, vel solo ascensu ad Ordinem superiorem, v. gr. oculis, vel palma carens inhabilis est ad Sacerdotium, non ad Confessiones audiendas, & Diaconus oculo sinistro carens inhabilis est ad Sacerdotium, potest tamen in suo Ordine ministrare. Busemb.

4417. Irregularitas graviter illicitat Ordinem susceptionem, & susceptorum exercitium, sed non invalidat.

Uc incurrat irregularitas ex delicto, requiritur actus externus, contumatus, & mortalis. Irregularitas verò ex defectu contrahitur sine culpa; quia est à jure imposita ob indecentiam, quam talis, vel talis defectus asserit facti altari, & ministerio.

4418. Irregularitas nulla incurritur, nisi sit expressa in jure, ex cap. 15 qui, de Sent. excom. in 6.

Unde in dubio, sive facti, sive facti, tenere potes, quod non sis irregularis; quia melior est conditio possidentis; excipitur tamen dubium de homicidio voluntario à te commissio, quia est expressum in jure. Hinc si positivè dubites, te occidisse, negativè verò dubites, te non occidisse, censori debes irregularis; minime, si probabiliter putes, te non occidisse, licet aliquam formidinem habeas de opposito, quia erit opinio probabilis, quæ non est expressa in jure. Dixi: Dubium de homicidio, non de mutilatione, qui sola mutilatio, & non dubium de ea, est expressa in jure.

IRREGULARITATES SUNT 15

HIS contentæ verbis, ubi numeri referuntur ad numeros sequentes, in quibus irregularitates singularem explicantur.

EX DELICTO SEPTEM.

6. Hæreticus, 1. Baptismus iterans, 7. Mutilans, 7. Homicida.
5. Famulus, 2. Violans censuras, et ligatur.
4. Improbè suscipiens, 3. Et tractans Ordinis actus.

EX DEFECTU OCTO.

6. Infamis, 5. Bigamus, 2. mutilans, 8. Justeque cruentus.
1. Neophytus, 7. Obstetricus, 3. Nothus, 4. Puer, 1. Atque idiota.
1. Obfessus, 1. Domens, 1. Lunaticus, 2. Hermaphroditus.

IRREGULARITATES EX DELICTO

4419. SUNT septem. 1. Incurritur propter Baptisimum serid, & scienter iteratum, tam à rebaptizante, quàm à rebaptizato. Cap. Ex literarum, de Apostatis, & Reiteratione Baptismi. In rebaptizante impedit solum, ne ad altiorem Ordinem possit ascendere, & non incurritur, si rebaptizatio sit occulta. Non incurritur ex reiteratione confirmationis; quia non est expressa in jure.

2. Ex violatione censuræ, ut in excommunicatis, interdictis, vel suspensis actum Ordinis solemniter exerceat, sit inhabilis ad illius Ordinis exercitium. Cap. Si quis Episcopus 11. q. 3. cap. 15 qui, & cap. Illorum, de Sent. excom. in 6. Vide num. 4366.

3. Si Clericus serid, & scienter exerceat solemniter actum Ordinis, quem non habet, cap. 1. & de Cleric. non ordin. Ut si Diaconus, & maximè Laicus Missam celebret, &c. Non incurrit, qui exercet actum jurisdictionis, quam non habet, ut si Sacerdos, absque licentia confessiones excipiat, licet peccet mortaliter.

4. Ex mala Ordinum susceptione, ut si quis ordinatus sit in excommunicatione, suspensione; aut ab Episcopo excommunicato, suspensio, interdicto, hæretico denunciato, seu non habente jurisdictionem; vel Ordines furtivè susceperit, ut in num. 92.

Ordines furtivè suscipere dicitur, qui sine Episco-